

Eutitius. Quibus argumentis astipulabitur ^{a)}, ut quod decedens episcopus quolibet modo ^{b)} dederit, a succedente repeti possit?

Theophilus. Dic mihi, si episcopus precedens hereticus esset, succedens deberet in eadem heresi permanere?

Eutitius. Non est dubium, quin hereticum sequens ipse quoque hereticus sit.

Theophilus ^{c)}. Certe Paulo Samosateno cum omni heresi dampnato ^{d)} et ab ecclesia pulso, successores ei catholici subrogati sunt ¹⁾. Cum ergo errorem ^{e)} eius, qui circa fidem deviaverit, non modo liceat, verum etiam necesse sit corrigi ^{f)} ab eo, qui succedit: res quæ precedens iniuste alienaverit ^{g)}, succedens iuste repetere non poterit? Ohni ^{h)} et Phinees ⁱ⁾, filii Hely ^{k)} sacerdotis, ipsi quoque sacerdotes, archam ^{l)} testamenti a tabernaculo foederis ^{m)} abduxerunt ²⁾ et contra hostes dimicaturi capiendam hostibus exposuerunt. Pugnatum est acriter, uterque sacerdos mortuus est ³⁾, 'arca ⁿ⁾ Dei capta est', sed ipsis debito supplicio condemnatis ^{o)}, archa ^{p)} Dei demum post multas plagas hostibus inflictas loco suo restituta est. Templum Dei a Chaldeis incensum ^{q)} et subversum, ipsa quoque Hierusalem ^{r)} desolata post septuaginta annos ^{s)} a reducibus captivis et restructa ^{t)} et possessa est. Quanta mala Antiochus ⁴⁾ in Hierusalem ^{u)} fecerit, qualiter templum spoliaverit, legem aboleverit, arcem Sion ^{v)} ad confusionem sanctificationis erexerit, tibi notissimum scio ^{w)}. Sed Iudas Machabeus et fratres ^{x)} eius constantissime resistentes non ante cessarunt, quam leges et patriam ab hostibus tuerentur. Quid ergo vel arca ^{y)} testamenti vel templum Domini, ipsa quoque Hierusalem ^{z)}, nisi sanctam ecclesiam designat? quæ vel exposita vel desolata hostibus a suis vere filiis usque ad sanguinem certantibus vindicari et restitui debet.

^{a)} adstipulabitur C. ^{b)} malo C (in A so verlesbar). ^{c)} fehlt AC.
^{d)} damnato C. ^{e)} errorem BC; vgl. S. 69 N. n. ^{f)} aus corroggi korr. A.
^{g)} aliænaverit B. ^{h)} Ophni C. ⁱ⁾ Phinees C. ^{k)} Heli BC. ^{l)} arcam C.
^{m)} i aus e korr. A; federis B. ⁿ⁾ archa B. ^{o)} condemnatis C. ^{p)} archa C.
^{q)} n über e nachgetragen A. ^{r)} i über e nachgetragen A. ^{s)} aus annis korr. A.
^{t)} restituta C. ^{u)} Iherusalem B. ^{v)} Syon B. ^{w)} est B. ^{x)} frater C.
^{y)} archa B. ^{z)} Iherusalem B.

¹⁾ Eusebii hist. eccles. interpr. Rufino VII, 29. 30, ed. Th. Mommsen 2 (1908) 705—715 (D).

²⁾ 1. Reg. 4, 4 (D).

³⁾ 1. Reg. 4, 11 (D).

⁴⁾ 1. Mac. 1 (D).